



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Pavlvs Papa IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

PAVLVS PAPA III.

Bulla Sanctissimi D. Nostri Pauli Papæ Quarti, contra negantes Trinitatem, aut diuinitatem Iesu Christi, aut eius Conceptionem de Spiritu sancto, aut eius mortem, ut nos redimeret, aut virginitatem Beatissimæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ.

Paulus Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

B **Q**UORUNDAM hominum prauitas atque iniquitas eo usque nostris temporibus processerit, vt ex his, qui a catholica fide aberrant & desciscunt, plerimi quidem non solum diuersas hæreses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare præsumant, & eorum exemplo multos in interitum animæ deducant: Nos cupientes, pro nostro pastoralis officio & caritate huiusmodi homines, quantum cum Deo possumus; a tā graui ac pestilenti errore euocare, ac ceteros ne in talē impietatem labantur, paternā seueritate admonere, omnes & singulos, qui hæcenus asseruerunt, dogmatizarunt, vel crediderunt, Deum omnipotentem non esse Trium in personis, & incomposita omnino indiuisaq; unitate substantiæ, & vnum vnauer simpliciter diuinitatis essentia Aut Dominū nostrum Iesum Christum non esse verum Deum eiusdem substantiæ per omnia cum Patre, & Spiritu sancto. Aut eundem secundū carnem non esse conceptum in utero Beatissimæ semperque Virginis Mariæ de Spiritu sancto, sed sicut ceteros homines ex semine Ioseph. Aut eundem Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum non subijisse acerbissimā Crucis mortē, vt nos a peccatis & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitā æternam reconciliaret. Aut eandem beatissimam Virgine Mariam non esse veram Dei matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate ante partum scilicet, in partu, & perpetuū post partū, ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Apostolica auctoritate requirimus & monemus, quatenus infra spatium trium mensium a publicatione præsentium in Romana Curia, quo ad residentes in ea, modo infra scripto: extra eam vero, quo ad alios in ista non residentes, modo & forma per diocesanos statuendis facienda incipiendorum, quos pro primo, secundo, & tertio, ac peremptorio termino, ac monitione Canonica eis & eorum quilibet assignamus, ab eorum assertione, dogmatibus, & crudelitate huiusmodi, ac quibuscunq; alijs in fide prædicta erroribus, in quos hæcenus lapsi sunt resipuisse, & ad unitatem Ecclesiæ redeundo, assertionem, dogmata, & credulitatem, ac alios errores huiusmodi in manibus inquisitorum hæreticæ prauitatis, ciuitatum, & locorum, in quibus ad præsens degunt, realiter & cum effectu abiurasse, & infra alios tres menses a die abiurationis huiusmodi inchoandos, de eadem abiuratione venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, dictæ hæreticæ prauitatis inquisitoribus generalibus plenam fidem fecisse debeant. Nos enim eiusdem Dei omnipotentis exemplo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, omnes & singulos, qui vt præfertur, ab assertione, dogmatibus, & credulitate, ac alijs erroribus prædictis resipuerint, & ad unitatem Ecclesiæ redeundo, assertionem, dogmata, & credulitatem, ac alios errores huiusmodi sponte abiurauerint, & de eadem abiuratione præfatis inquisitoribus generalibus fidem fecerint, ac penitentiam priuatam per dictos particulares inquisitores eis iniunctā cum effectu adimpleuerint, a prædictis & quibuscunq; alijs quantumuis grauib; & enormibus hæresibus, & a fide Christi apostatis, ac in eadē fide erroribus, necnon excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; sententijs, censuris, & penis, tā Ecclesiasticis, quā temporalibus, etiā honorū priuatiuis, & corporis afflictiuis, ac capitalibus, in tales à iure, vel ab homine latis & promulgatis, & per eos præmissorum occasione incurtis, (dūmodo delati, aut inquisiti, seu relapsi non sint) dicta auctoritate, tenore præsentium in vtroq; foro absoluimus & liberamus, ac eum eis super irregularitate, quā propterea contraxerint, etiā si sic ligati Missas & alia diuina officia, etiā forsan in cōtempnū clauū celebrauerint, aut illis aliās se immiscuerint. Quoddq; ea ipsa irregularitate, & cæteris præmissis, non obstantibus qui promoti non fuerint, ad omnes etiam sacros & presbiteratus ordines promoueri, & in illis tam ipsi, quā qui iam etiam post incurtam hæresim promoti fuerint, in altaris ministerio ministrare: Nec non tam clericis, quā laici, & vtriusq; sexus personæ, eorumq; filij, nepotes, descendentes, ad gradus, honores, ordines, & officia, ac alia quæcunq; assumi, illaque suscipere, & exercere libere & licitè valeant auctoritate & tenore prædictis, de specialis dono gratiæ dispensamus, eisq; pariter indulgemus, necnon omnem inhabilitatis & infamiæ maculam, siue notam circa eos præmissorum occasione quomodolibet insurgentem ab eis penitus & omnino abolemus. Et insuper cum errores, quos supra narrauimus ita graues & nefandi sint, vtili, qui in eos decidunt, excusationem non habeant, sed subuersi potius atq; immanes, quā hæretici merito dici possint: Hac nostra perpetuū valitura constitutione sancimus, quoddam illi qui hæcenus in ipsos errores, vel eorum aliquem lapsi sunt, & infra supradictum terminum non resipuerint, & ea, quæ supradiximus non adimpleuerint, quā oēs & singuli alij, qui in futu-

Edita anno Domini 1555
Ex bibliotheca Illustrissimi Iulij Antonij Sancti Cardinalis sanctæ Seuerinæ.

Aug in lib de Assumpione Beatæ Mariæ, c. 4.

Concordat rescriptum Iulij Papæ Iij. Incip. Illius, qui misericors sup. pa. 113.

in futurum in illos, vel illorum aliquem quomodolibet probentur, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, pro subuersis & relapsis in hæresim haberi, & vt relapsi Curia seculari tradi, & per ipsam Curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri possint, in omnibus & per omnia p̄inde ac si vere & realiter in hæresim relapsi essent, & eos relapsos esse constaret. Nō obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscūq;. Vt autem præmissa omnia ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullusq; de illis ignorantiam prætere, ac se legitime excusare possit, Volumus & dicta auctoritate decernimus, quod presentes littere, seu eorum transumptum, cui si manu Notarij publici subscriptum, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitum fuerit, eam prorsus fidem in iudicio & extra adhiberi statuimus, quæ ipsis literis adhiberetur, si originaliter exhiberentur, in eadem Curia per aliquos cursores nostros in Basilica Principis Apostolorum, & Ecclesię Lateranen. de Vrbe, ac cancellarij Apostolicę Valuis, & Acie campi Florę, vt moris est: extra Curiam vero prædictam, modo & forma per venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, alios Ecclesiarum prelatos, quibus in virtute sanctę obedientię per eandem præsentem mandamus, vt litteras, siue transumptum huiusmodi vbique per eorum prouincias, dioceses, & ecclesias sincera caritate publicent & publicari faciant, statuendis, publicentur, eorum exemplo in singulis locis, in quibus publicatio ipsa fiet, affixo & dimisso. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę requisitionis, monitionis, absolutionis, liberationis, dispensationis, iudicij, abolitionis, sanctionis, voluntatis, decreti, statuti & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romę apud sanctum Marcum, Anno incarnationis Dominicę M. D. L. V. Septimo Id. Augusti. Pontificatus nostri anno primo.

Fed. Cardinalis Cælius.

To. Barengus.

Barengus.

Anno à Natiuitate Domini M. D. L. VI. Indictione xiiij. Die vero xxij. Mensis Iulij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pauli diuina prouidentia Pape III. Anno eius secundo, presentes retroscriptę litterę Apostolicę, & publicatę fuerunt ad valuas, seu portas Basilicarum Ecclesiarum Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellarię Apostolicę, ac in Acie Campi Florę, dimissis copijs affixis, vt moris est, per me Thomam Roger presari Sanctissimi Domini nostri Pape Curforem.

Petrus Gomes magister cursorum.

PAVLVS PAPA III.

Bulla S. D. N. D. Pauli diuina prouidentia Pape III. contra Hereticos, & Schismaticos.

Iubet innouari, & inuolabiliter obseruari omnes leges, decreta, siue statuta, à Romanis Pontificib. sacris concilijs, & sanctorum Patrum decretis in hereticos, & schismaticos quouis tempore edita, etiam si in litteris Pontificum extrauagantibus continerentur; & si non fuerint in resum præcipit reuocari: vt custodiantur contra quoscunque quacunque auctoritate & honore, vel dignitate existant; & quicunque in heresim aut schisma inciderint, seu excitaauerint, officijs & beneficijs & honoribus quibuscunque sint priuati, & ad illa de cetero sint inhabiles & incapaces, habeanturq; pro relapsis p̄inde ac si prius heresim in iudicio publice abiurassent, idem curię seculari tradantur, nisi eos de benignitate admittere voluerit sedes Apostolica, & ob heresim et schisma prædicto modo vacatia beneficia, intra tempus a iure statutum idoneis personis conferantur, multę in fautores & complices hereticorum, & schismaticorum pœna statuuntur, & quicunque quacunque dignitate in heresim aut schisma ante suam ad aliquam dignitatem promotionem, incidisse compertus fuerit, eius promotio etiam ad Patrum nulla sit, neque ei obediatur, sed licet ei omnis fidelitas subtrahatur, inuocato cõtra eos, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Paulus Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam:

Edita anno Domini 1558.
Ex bibliotheca nostra.

CV M. ex Apostolatus officio, nobis, meritis licet imparibus, diuinitus credito, cura Domini gregis nobis immineat generalis; exinde teneamur pro fideli illius custodia, & salubri directione, more vigilis Pastoris, assidue vigilare, & attentius providere: vt qui hac ætate, peccatis exigentibus, proprię prudentię innitentes licentius & perniciosius solito contra orthodoxę fidei disciplinam insurgunt, & superstitionis, ac fictitijs adinventionibus sacrarum scripturarum intelligentiam peruercentes, Catholicę Ecclesię vnitatem, & inconfutilem Domini tunicam scindere moluntur, ab ouili Christi repellantur, nec magisterium erroris continent, qui discipuli veritatis esse contemnant: Nos considerantes rem huiusmodi adeo grauem & periculosam esse, vt Romanus Pontifex, qui Dei & Domini nostri Iesu Christi vices gerit in terris, & super gentes, & regna plenitudinem obtinet potestatis, omnesque iudicat, a nemine in hoc sæculo iudicandus, possit si deprehendatur à fide deius redargui, & quod vbi maius intenditur pericu-